

adnumerandas, benigne agnovisset, ita SS. quoque et OO. Regni, easdem in numerum aliarum liberarum ac Regiarum Civitatum cum competente Sessione et Voto Diaetali recipiunt, una vero, ut eaedem Legibus Regni quoad omnia sub-jacere et sese accommodare debeat, statuitur.

De Activitate Regii Locumtenentialis Consilii Hungarici, ad Regna Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae extendenda.

A r t i c u l u s 58.

Consilio Regio in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, per Serenissimam piae memoriae Reginam Apostolicam Dominam, Dominam MARIAM THERESIAM erectorum, jam alioquin sublato, quemadmodum Comitatus eorundem Regnorum, omnes Politicas Inviationes a Consilio Regio Locumtenentiali Hungarico interea accepterunt, ita Sua Majestate Sacratissima benigne annuente statuitur, ut has a praelibato Consilio Regio Locumtenentiali Hungarico, praefatorum Regnorum Comitatus porro quoque accipiant, ut item tam in Gremio ejusdem Consilii, quam in Statu subalterno, ex iisdem Regnis individua, in justa Proportione applicentur. Domino praeterea eorundem Regnorum Bano, dum ad illud comparere poterit, competens dignitati ejus sessio et votum assignetur, Municipalibus eadem Regna in concreto respicientibus negotiis, porro quoque in Generalibus eorundem Regnorum Congregationibus, quae cum praevio annuatu Regio celebrandae venient, pertractandis.

De Contributione Regni Croatiae et trium superioris Sclavoniae Comitatuum, in Diaeta Regni Hungariae pertractanda.

A r t i c u l u s 59.

Accidente quoque Benigno sua Majestatis Sacratissimae assensu conclusum est, ut deinceps Contributio Regni Croatiae et trium superioris Sclavoniae Comitatuum, Zagrabiensis utpote, Crisiensis et Varasdinensis, semper in Diaeta Regni Hungariae, separatim tamen a Contributione Regni Hungarie, pertractetur, neque imposterum extra Diaetam Regni Hungariae augeri possit.

De Libera Regiaeque Civitate Segniensi, a Jurisdictione Militari eximenda, complanandisque ejus Querelis.

A r t i c u l u s 60.

Ad effectum Articuli 56. An. 1741. Sua Majestas Sacratissima, intuitu Liberae Regiaeque Civitatis Segniensis, benigne addicit, se mixtam e Statu Militari et Politico Commissionem, coram qua Civitas, occupata per Statum Militarem seu Tenuta, su Beneficia edocere possit, mox finita hac Diaeta ordinaturam, nego-